

nis vsus, non solum bis aut ter, sed saepius panem vitæ conferendum: nulla enim est ratio cur debeat denegari; & cum in bono statu sint, magis videntur ad illum dispositi, quia à peccatis magis alieni. Pro quo stat P. Henao *Disp. 14. de Euchar. n. 73.* post hæc scripta vilus.

De Priuilegijs circa Missam.

271. **A**git de illis *Quest. 98. §. 31. num. 197.* & seqq. vbi specialiter de horâ celebrationis, pro quâ concessionem Alexandri VI. adducit de duabus horis post mediam noctem, & Eugenij IV. de celebratione ex causâ vsque ad Nonam, in quâ ad quod ait non esse Superioris licentiam necessariam. Sed in Societate aliter dicendum ob generalem rationem circa vsum priuilegiorum. In casu autem non frequenti, vt itineris in die festo aut simili, tacita aut præsumpta sufficit.

272. Quod autem in *initio* ex Eugenio IV. & Leone X. proponit, posse Missam & diuina officia celebrare in locis vbi eos hospitari contigerit; & de Missionariis est sermo, & ex Clemente VIII. posse Missam celebrare in locis decentibus & honestis, & ab omnibus actibus humanis seu iunctis & remotis; quod perinde est ac dicere, in Oratorijs priuatis quibuscumque: non est ita accipiendum, vt hoc posterius prioris explicatio aut limitatio sit. In Missionibus enim celebrari in hospitij potest, etiam loca ab humanis actibus seu iuncta non sint, iuxta ea, quæ à Nobis dicta.

273. Sacerdotem etiam sæcularem in locis vbi raritas eorum est, posse duas Missas, etiam si non sit Parochus, celebrare, cum iis Auctoribus, quibuscumque & Nos, quibus adde Leandrum *infra, quest. 39.* Alia ibidem non specialia de quibus Nos latius: plura tamen *quest. 135.* ex quibus subiicienda nonnulla.

Primum, posse celebrare in Cameris sæcularium, etiam vbi dormiunt, & in plateis. Sic *n. 1. & 3.* ex priuilegio, ex quo & Nos.

274. Secundum in Altari portatili vbi cumque voluerint, ex priuilegio PP. Prædicatorum, & Minorum. Cap. *in his 30.* de priuilegijs. Et non esse reuocatum à Tridentino; cum multis, licet alij contradicant. De quo *n. 3. & 4.*

275. Tertium posse item in Oratorijs sæcularium, iuxta aliquos, etiam si prohibio Episcopi extaret ne vltra Missam vnicam alia dici posset. Quod ipse non probat, quia abusus esset in priuato oratorio plures Missas, ac si publica esset Ecclesia, celebrare: Quæ ratio non probat de duabus aut tribus, ex hoc enim non videtur Ecclesia publica, in quâ tot licent, quot occurrerint Sacerdotes.

276. Quartum cum P. Pellizario, Portel, Diana, Lezana, Cespedes, & P. Quintanad. posse ibidem, contradicente Episcopo, Eucharistiam ministrare, quia nequit ille vsum priuilegij multorum Pontificum impedire. Admonet tamen cum illis ne id fiat, ob vitandas turbas.

277. Quintum posse in grangijs, vbi & quilibet Sacerdotes sæculares, eaque Oratoria gaudere immunitate. Pro quo ibidem Auctores, qui & addunt licere id etiam contradicente Episcopo,

neque addunt nuper positam moderationem; & merito, quia hoc Religiosis magnum pareret detrimentum.

278. Sextum vsum priuilegij Pij IV. id habet quod à Nobis ex eodem positum in Additionibus ad priorem Tomum *num. 123.* Addit *n. 11.* ex priuilegio Sixti IV. vtj posse Religiosos Altari viatico etiam extra necessitatem, & sic diebus ferialibus; modò ad sit causa rationabilis, ex Barbosa *Allegat. 23. n. 3.* qui tamen de feriatis diebus non loquitur, sed tantum ait posse extra necessitatem: est tamen verosimilis ampliatio.

279. Post præfata ad Episcopos diuertens nonnulla tradit iuxta communes Doctorum resolutiones, ex quibus cum aliquos præferat *n. 19.* sic concludit: *Hæc magna necessitas consideranda est respectu multorum, non autem vnius aut alterius, sed propter tot Doctorum auctoritatem & vsum, de quo multi restantur, censo posse hodie ratione infirmitatis, sed raro, saltem semel in mense, Episcopum concedere licentiam celebrandi coram nobili persona infirma. Tutius tamen esset S. Congregationem consulere.* Sic ille: qui post alia loci alterius pergit, & sit

280. Septimum, sacerdotem quemlibet itinerantem posse diebus singulis in Altari viatico celebrare ex Concilio Tribariensi Cap. *Concedimus 30. de Consecrat. Dist. 1.* quando scilicet sine grati incommodo nequit ad Ecclesiam accedere. Pro quo patronum allegat nullum & erit certè rarissimus, cum Doctores contrarium generaliter fateantur ob Cap. *Finale de priuilegijs in 6.* vbi summa dicitur futura necessitas. Id certè minimè consulendum, si tamen pro sæcularibus id licet, quanto id potius Religiosis concedendum? Sed addit *num. 22.* quod ad hoc precisè vt decem vel viginti laici itinerantes Missam audiant, non debet Sacerdos extra Ecclesiam, saltem diebus ferialibus, celebrare, secus si magna sit multitudo, de quo *Assert. 3.* quia priuilegium Concilij concessum est Sacerdoti itineranti, quem non decet aliquem diem sine sacrificio transire, non autem laicis. Quod est sanè mirabile, posse scilicet Sacerdotem diebus singulis celebrare, ob propriam deuotionem, non posse ob coitinerantium commodum, cum vterque respectus simul esse possit, & priuilegium simpliciter concessum valeat in aliorum commodum prædicari. Nisi fortè loquatur de Sacerdote non coitinerante, sed in viâ habitaculum habente, villâ scilicet, aut ouili. Petendam ab Episcopo licentiam cum casus præuidetur, vt semper itinerantibus accidit, colligitur ex *n. 27.* quia non est euidens id licere: sed iuxta aliorum sententiam, quos ibidem adducit, aliter asserendum.

281. Octauum, circa Religiosos Hiberniæ pro Officijs defunctorum responsa quædam S. Congregationis Cardinalium, vtilia certè, proponit, sed quæ negotium præfens non concernunt, vbi non omnia, quæ conducere alias possunt, glomeranda. Vnde ad alia.

De benedictione sacrorum, vbi & de Ecclesijs.

282. **A**git de hoc *Quest. 93. num. 4.* vbi adducit Decretum Congreg. Cardinalium ab Innocentio X. approbatum. Cum enim quasi-

quasi fuerit. Verum Patres Societatis in Ciuitate & Diocesi Angelorum possunt consecrare vasa sacra, altaria, & spolia, in quibus vñtio requiritur? Respondit non posse. Ad quem locum se refert *Quest. 270.* vbi generalem declarationem adducit pro Missionarijs Apostolicis, vbi Episcopi existunt. *Quest. autem 98. §. 6. num. 25. & seqq.* vbi varia priuilegia accumulatur, sicut & Leander *Tomo 2. Tract. 8. Questio 30. Disput. 7.* nihil addit quod à Nobis adductum non sit, præter priuilegium PP. Carmelitarum Discalceatorum à Clemente VIII. concessum Missionarijs infidelium: pro quo & alii extat Bulla, cuius tenorem exhibet *initio Tituli 4. pag. 223.* sed cum exceptione eorum, quæ vñtionem exigunt.

284. Quibus non obstantibus, standum iis, quæ stabilita à Nobis sunt. Decretum enim in gratiam Angelopolitani Episcopi ad summum probat in Ciuitate illa ac Diocesi existente Episcopo, id non posse fieri, quando distantia est minor duabus diarijs, iuxta ea, quæ tradit Thomas à IESV MARIA de Conuersione Gentium, in Compendio priuilegiorum. *V. Benedicere.* Et videntur conformia Concessioni Adriani VI. in Omnimoda, de qua *num. 194. Et alibi.* Præterea, id tantum pro Ciuitate & Diocesi præfatis dispositum, quia ægrè id ferebat Episcopus & noluit Congregatio priuilegium in eo casu contra illius voluntatem vim habere, ad contentionum procillas sopiendas. Et quidem facile erat S. Congregationi, cum respondit, *Non posse, adde, Neque in illis, neque in alijs.* Quod cum non fecerit, indicium est aliquod prohibitionis limitatæ. Quod autem de Missionarijs Apostolicis aliter sit dispositum, non conuincit, ob dicta *§. 1. huius Tituli.*

285. Circa Ecclesias nonnulla adducit *Quest. 98. §. 15. & 44.* sed in iis nihil notabile & quod Indiarum possit causam promouere, cum ex adductis à Nobis satis ampla pro benedictione, & reconciliatione facultas habeatur. Pro erectione autem stat priuilegium Pauli Tertij, & pro PP. Discalceatis Carmeli Apostolicis Missionarijs aliud Clementis VIII. *Constitut. 47. citata num. 4.* de quo Auctor *§. 15.* sunt tamen pro Indijs specialia Regum nostrorum statuta: & solâ Regiâ licentiâ, irrequisitis Episcopis, erigi posse, immò & contradicentibus, ex Dom. Solorzano & Fr. Ioanne Baptista, proponit *num. 72.* ob concessionem Pauli IV. ex qua etiam habetur omnia Regia rescripta & mandata circa hoc & alia esse à Pontifice confirmata, & eandem vim habere, ac si eodem emanassent. Circa quod hæret ille, eo quod hæc sint contra Ecclesiasticam libertatem (sicut multa, quæ habet Dom. Solorzano *Tomo 2. Lib. 3. Cap. 21.* vbi de decimis. Et *Cap. 26.* vbi de Religiosis) nec Bullam Pauli IV. videre potuerit, cuius fidem penes Auctores eam citantes esse vult. Sed quidem Bulla est certissima, cuius tenorem adducit Fr. Ioannes Baptista *fol. 304. & 305.* & est illa pro PP. Dominicis, in quorum libro priuilegiorum habetur *fol. 258.* & licet non procedat specialiter de Indijs, ex eo tamen quod in ea approbantur, confirmantur, & innotantur concessionem omnes quocumque modo factæ, non solum Pontificum, sed Imperatorum, Regum, & aliorum Prin-

cipum, colligi ait Mag. Alfonsus à Veracrucce apud citat. Ioan. Baptistam *fol. 307.* quod cum Reges Catholici per suas Regias litteras concedant vt Religiosi liberè suis vtantur priuilegijs à Pontificibus concessis, idem est ac si Pontifex ipse speciales de hoc dirigeret litteras.

286. Iuuat eum audire sic loquentem: *Eadem ratione cum expresse per Reges Castelle sit præceptum vt Religiosi possint edificare domos pro Religiosis vbi cumque fuerit necessarium pro instructione Neophytorum, vt patet in expressis litteris ad trium Ordinum Provinciales specialiter directis: sequitur posse Provinciales sine aliqua requisita licentiâ accedere ad loca vbi ipsi iudauerint expedire, & ibidem posse edificare domum ad habitandum sicut si per Pontificem esset concessum.* Sic doctus ille Magister. Non ergo omnes Regiæ Schedules sunt à Pontifice confirmatæ, neque hoc Auctores dicti asseruerunt, vt affirmat P. Verricelli, sed quæ pro executione priuilegiorum Pontificiorum à Regibus dirigitur. Sunt namque Regia etiam priuilegia, & cum ista à Paulo IV. generaliter approbentur pro PP. Dominicis, & consequenter pro omnibus communicationem habentibus, iam eo ipso sunt Pontificia reddita, iuxta modum philosophandi Mag. Veracruz. Quod ad Dom. Solorzano attinet, vir fuit sanè piissimus & doctissimus: in cuius si quidquam scriptis minus conforme Ecclesiasticæ immunitati succurrit, in eo alios est secutus, quod neque Nos probauimus; certum tamen communiter iuxta Pontificias fuisse locutum concessionem. De quo hæc satis.

De celebratione in mari.

287. **D**E hoc *Quest. 133. & 134.* vbi id licere cum bonis probat Auctoribus, & etiam in flumine, si aliâs priuilegium sit pro celebratione extra Ecclesiam, vel si non sit, quoties sine illo id in terra liceret absque Episcopi licentiâ, nec solum in festis, sed etiam diebus singulis. Id tamen negat in triremibus ob continuam iactationem, quod tamen concedit Diana *Parte 5. Tract. 3. Resolut. 40.* & totum ab experientia pendet: & alicubi triremem esse posse quietam oculis comprobamus. De hoc etiam P. Bulembaum in *Medulla Theologiae moralis Lib. 6. Tract. 3. de Eucharistia Cap. 3. Dub. 4.* cum alijs, & Leander *supra Quest. 18.* & luculentissimè Andreas Du Sauray in *Panoplia Sacerdotali Parte 2. Lib. 1. Cap. 8. Artic. 2.*

De portatione Eucharistie ad collum.

288. **A**ffirmat *Quest. 136.* & de Apostolicis Missionarijs *Quest. 232.* addens generaliter id licere ob periculum infidelium sine stola, superpelliceo, & lumine: ob Viaticum scilicet infirmo tradendum. Ergo & idem licebit ob eandem causam, si aliter conferri nequeat; licet vix moraliter accedere posse videatur, vt saltem stola non suppetat, quæ adhiberi poterit, etiam si superpellicem desit, in eo enim indecentia apparet nulla: & saepius id videmus in Religiosorum funeribus, iuxta peculiare eorum ritus, & cum Sacerdotes more laicorum communicant.

Circa Caput XI. De Sacramento
Pœnitentiæ.

De absoluteione ab hæresi.

289 **Q**uest. 98. §. 1. priuilegium Societatis adducit quoad absoluteionem sæcularium, sed sine Adnotationibus ab eadem adiunctis. Et aliud pro Missionarijs Apostolicis in terris ubi grassantur hæreses, declaratione subiuncta particularis Congregationis Theologorum super dubijs Missionariorum Capucinarum Orientalis, in qua sic: *Manifestum est non posse absolui à Missionarijs hereticos, qui lapsi in partibus ubi non grassantur hæreses, ad partes ubi sunt Missionarij, se conferunt.* Sic Congregatio in Palatio Cardinalis Pamphylj postea Innocentij X. Sed contrarium ille satis probabile existimat ex Bulla Eugenij IV. iuxta quam aduenæ & peregrini sortiuntur forum pœnitentiæ ubicumque contigerit reperiri. Addit & rationem conuenientiæ, quæ in aduenis & prædictis pariter militat, ne in hæreticâ præuinitate confirmetur, concludens tutius esse S. Congregationem consulere. Ex his ergo aliquis non immeritò deducit, in Indijs locum non esse priuilegio quoad absoluteionem ab hæresi, cum absolui nequeant lapsi in partibus ubi hæreses non grassantur, ut non grassantur in Indijs, nisi forte in locis illis, ubi Belgæ hæretici dominantur, aut Angli. Sed quidquid de Missionarijs sit, ad priuilegium est Indicum prouocandam, cum de Missionarijs alia sit ratio, ut dictum supra iuxta moderationem à Nobis designatam.

290 §. 2. de absoluteione agit Religiosorum, & pro ea priuilegium Societatis, & aliud pro PP. Franciscanis allegat. Sed verò Gregorius XIII. ut ibidem, hæresim excepit, & nonnulla alia grauissima crimina. Non est ergo eisdem inuitendum in absoluta aut affirmatione aut negatione. Quia contra affirmationem militant nouiores Pontificum dispositiones: & contra negatiuam id stat quod est à Nobis suo loco comprobatum.

291 **Q**uest. 147. probat perpetuò impeditum posse ab Episcopo absolui; non solum quia multi, quos adducit, id probabiliter, iuxta eundem; affirmant generaliter loquendo; sed quia ratione impediti est casus Episcopalis. Quod si neque Episcopus adiri possit, & diuturnum sit impedimentum, etiam si non perpetuum, quia & illud æquiparatur mortis articulo, tenet, & robuste probat **Q**uest. 148. absolui ab eo posse, qui ab alijs mortalibus potest absolueri, pro quo graues fautores inducit. **Q**uest. autem 149. degentes in Indijs ait legitimum impedimentum habere, si neque Episcopi, aut eorum Vicarij sint; quod & de alijs remotissimis regionibus tradit. Et **Q**uest. 50. ut probabilius sustinet sic absolutos, si contingeret ad ea loca accedere, in quibus obligatio est se Apostolico conspectui præsentandi, id debere facere. De Inquisitione verbum nullum: neque cum illius Iudices adsunt, nec tamen absolueri volunt. **Q**uest. tamen 151. videtur obligationem penitus amoliri, dum tanquam probabilius statuit impeditum le-

gitimè, nec potentem Sedem Apostolicam, Episcopum, aut eius Vicarium adire, non teneri priuilegiato confiteri, neque cuiquam alteri, qui non sit Apostolicus Legatus, quales non sunt Inquisitores. Et **num.** 7. concludit cum multis, quos citat, impeditum personaliter adire, non teneri per Procuratorem aut litteras id præstare. Esse autem eandem rationem hæresis & aliorum criminum, ut absolui possit impeditus, probauerat. **Q**uest. 147. **numer.** 5. & seqq. Facit pro eo multorum sententia apud eundem **Q**uest. 162. **num.** 25. dicentium denegata iniuste facultate absoluedi à Prælato sæculari, haberi pro obtenta (de Regulari id probauerat **num.** 15. cum multis ob Pauli V. concessionem.) Tunc sic. Aut Episcopi & Inquisitores possunt absolueri ab hæresi in foro pœnitentiæ, aut non. Si primum, & tamen negant, stat prædicta sententia satis probabilis. Si secundum, perinde est ac si non adessent. Possunt ergo impediti à quocumque absolui Confessario legitime iuxta Tridentinum approbato: Pro quo & iuuat id quod tradit ipse **Q**uest. 161. **numer.** 7. scilicet Ordinario præsentante, sed latente, ita ut ad eum esse nequeat accessus, haberi pro longissime ablente.

Circa approbationem Confessariorum.

292 **Q**uest. 98. §. 11. & citata nuper 161. ex priuilegijs, & alijs fundamentis in partibus infidelium absente Episcopo & eius Vicario, absque vlla approbatione Ordinarij posse Religiosos Confessiones audire, quod est etiam conforme Breui Innocentij X. nec ceteri adesse, si per duas distent diæceses. Quod & habet **numer.** 80. citat. **Q**uest. 98. ubi de actibus Pontificalibus ex priuilegio licitis loquitur. Pro quo **n.** 81. adducit P. Quintanad. idem asserentem, si tamen diu deberet expectari. Et licet iuxta leges viginti milliarum singula habeant, non debent tamen in eo rigore accipi, cum ratione asperitatis viarum, debilitatis virium & aliarum circumstantiarum, non ita plena sufficere possint: posse tamen licentiam per litteras postulari de quibus **n.** 10. Et quod non sit necessaria Episcopalis licentia, nisi ex vrbantate, quando à Rege, aut Prorege mittuntur ut munus exerceant Parochi, cum Fr. Emmanuele, & Fr. Ioanne Baptista affirmat **num.** 7. Quod tamen limitat iuxta Breue Innocentij X. si non sint Parochi in illis partibus, etiam si sint Episcopi, & si nolint sæculares Parochos destinare. Quod non est penitus circa hoc vltimum admittendum: quia Parochi nequeunt nisi præsentati à Rege designari: cum autem eos destinat ad munus illud, destinatio talis habet saltè vim præsentationis: debent ergo institui. Si autem sint Parochi; aut illi præmissa præsentatione instituti sunt, & tunc non est credendum velle eos, qui alios designant, penitus amoueri. Si autem præsentatio non præcessit, designatio vim habet talis, & ita Canonice instituendi, nisi idonei non essent, tunc enim repellendi: pro quo Auctor **num.** 239. citat. **Q**uest. 98.

293 **Q**uest. 162. **vers.** *Mhi videtur*, sententiam aliquorum, quos **numer.** 6. allegat, asserentium pro Religiosis vnicam sufficere approbationem

tionem improbabilem iudicat, & in fine ait non esse iam locum quæstioni ob Innocentij X. Decretum in causa Episcopi Angelopolitani, est enim satis expressum. Quod & alios dixisse vidimus, & quid circa id sentiendum declarauimus. Illud fauorabilius apud eundem, virtute Iubilæi, & Cruciatæ vnicam approbationem sufficere. Sic **num.** 2. ubi quamplures pro eo adducit, quidquid aliter sentiant ibidem adducti.

Circa Confessionem in navigatione.

294 **D**E hoc tractat **Q**uest. 156. & tribus seqq. ubi multa scitu digna. Et in priori, si sit Capellanus Parochi officio fungens, confitendum eidem ait: secus si naui in portu sit, nec Capellanum habet Parochialem. Vbi addendum ex quo quis nauim non exiturus intrat, posse Capellano confiteri; secus si exiturus, ut saepe accidit. Si Capellanus non sit, & nauis inueniatur in centum milliarum distantia à diæcesi aliqua, quæ minor est quàm distantia duarum diæcesum, Confessio est facienda Confessario pro eadem approbato, si in naui adsit. Quod si æquè distet à pluribus, aut parum plus, minusue, cui voluerit, si plures pro eisdem approbati succurrant.

295 Si verò sit in alto mari neque necessitas urgeat, nequit confiteri nisi Confessario approbato ab Ordinario Contentis, sicut non posset in terra, etiam si à sua diæcesi longissime distaret: pro quo **Q**uest. 161. **num.** 4. cum multis alijs. Quia Decretum Concilij Tridentini etiam tunc videtur vrgere, neque pro exceptione fundamentum solidum afferret. Quod si nauigatio periculosa sit, quod prudentis arbitrio relinquatur, tunc eam inuiturus, aut prosequens, cuiusque potest Sacerdoti etiam simplici, nec approbato, confiteri iuxta eundem **Q**uest. 158. post relatas sententias aliorum. Non inquirat autem de periculo in navigatione ipsa, quia de eo fortè dubitatio esse nequit, cum in mari quodlibet obortum periculum debeat magnum & lethale reputari; nisi expertorum iudicio leue & ordinariè superabile censeatur. Cum alijs opinio sit aliquorum nauigatos posse absolui à quolibet, quia nauigatio periculosa semper est, præsertim si longa, pro quo Auctores apud eundem: qui **Q**uest. 159. concludit eum; qui præuidens periculum, se mari commisit, etiam si liberè potuisset à nauì descendere, posse in nauì à quocumque absolui, secus ante ascensum in illam omnino voluntarium, quia hic omnino extra periculum esse censeatur, secus ille, qui non tenetur ad confessionem non approbato faciendam, etiam si id præuideat, immò velit à nauigatione iam inchoata desistere. Pro quo exempla ex multorum doctrina probabilia conducit. Nec Nos de illis plura.

Circa Caput XII. De Extrema
Vnctione.

296 **D**E hoc Sacramento agit **Q**uest. 165. & seqq. & in illa tenet cum multis deficientes oleo infirmorum pro communitate possit. *Theſauri Indici Tom. II.*

se oleo Catechumenorum ministrari; secus si vnus vel alter nequiret inungi: quam limitationem proponit ex P. Layman, P. Castropalaë **num.** 9. sed cum alij eam non adhibeant, sed generaliter loquantur, oppositum est probabile, si consequenter sit loquendum. Addit *ibidem.* **vers.** *Verum non desinat*, non esse improbabile, deficiente vtroque oleo licite posse Christima adhiberi sub conditione, sicut de oleo Catechumenorum dicendum.

297 **Q**uest. 166. multis conatur ostendere non esse præceptum vllum renouandi quotannis oleum infirmorum, & nouo vngere; licet respectu Christimatis sit obligans sub mortali, licet contraria sententia sit communis. Et ut præceptum aliquod sit illud sub veniali tantum obligare, pro eodem stat cum alijs Leander **Tract.** 4. **Disput.** 2. **Q**uest. 11. qualescumque autem sit præceptum, si facta diligentia nouum haberi nequeat, nullum futurum peccatum, de quo & **Q**uest. 98. **n.** 222. Neque ad illam teneri eos, qui priuilegium habent vtendi veteri. Quod si diligentia præscribatur, illa certè minor sufficere, quàm si priuilegium non esset, quia illud aliquid debet operari. Et licet in Rituali Pauli V. habeatur oleum dictum quotannis Feriâ v. in Cœna Domini renouandum, addit Rubricas dictas tantum continere doctrinalem instructionem, & non præceptum: quia Paulus V. in Bulla Rituali præfixâ non præcipit, sed tantum hortatur ad illius obseruantiam. Hoc vltimum à Nobis est sufficienter improbatum. Quod autem de diligentia dicitur, non videtur admittendum, quia renouatio olei idèd sit, nam vetus est obnoxium corruptioni, & oportet, etiam si corruptum non sit, esse purissimum. Et licet in priuilegio diligentia non exprimat, id satis aperte innuitur, dum dicitur id licere *in locis, à quibus valde remoti sunt Episcopi*, vt in Bulla Pauli V. & sequentium Pontificum. Et leuis quidem iste non videtur esse defectus. Opinioni P. Martinon, de qua **num.** 223. nullam notam inurit, sed tantum fallam asserit **num.** 222. citat.

298 Et ut quod ad olea spectat pariter præbeamus, citat. **Q**uest. 98. **num.** 219. & 220. ait peccatum esse mortale oleo Catechumenorum antiquo adutum extra periculum mortis inungere, non verò infantem, quia semper iste in periculo versatur. Addit tamen **num.** 221. ex virtute priuilegij Greg. XIII. etiam nullo mortis periculo existente, & etiam si nulla sit adhibita diligentia, posse oleo antiquo quatuor annorum circa baptizandos vti. Sed verò Gregorij priuilegium præterquam quod temporale fuit, & anno 1603. finitum, faciendam diligentiam præscribit, sicut & Clemens VIII. in Bulla pro PP. Carmelitis Discalceatis.

Circa Caput XIII. De Sacramento
Ordinis.

299 **P**riuilegium conferendi Ordines Minores Innocentij IV. & Leonis X. non esse renouatum censeat cum Fr. Emmanuele, & Fr. Hieronymo Rodríguez **Q**uest. 98. **num.** 224. Inter alia priuilegia vt Religiosi ordinari possint, illud